

1734.

1. Gabanius, Georgius Christianus, Prosector in academia
Göttingensi : ~~admissionis et discessum tractato~~ (studiorum
et prolectiones iurist.)
Drs ad nomina Albo hereditario iusta invitat. Tres
universitatis cimbis primis S. p. I.

2. Hennamus, Christopherus Augustus : De historia gloriae
academici.
1735

3. Brunquell, Dr. Salm : Tract. iurid. orationis :
Praturia academicia, qua in pagina iuri Germanico et
Romano illud hinc ... praeforum esse, visitatus receptio
probatorum ... veritatem principiarum iuri contro-
nuntiarum ... publice instituendae praemissa.
2 Sept. 1735 et 1743.

4. Mascorius, Grapf : De usu juris cum scientia ejusdem
anhangendo praemissa lectionibus ... literis.

5. Mascorius, Grapf : De cetero iure iudicio

6^o¹⁵⁶ Resarpath, Tho. Læ., Far. iur. ministris et procuratoris
in auct. Mættingensis praelectiones suas indicat. Simil. de
usn et non usn practico doctrinal de fictionibus juris
dissent. 2 exempl.

7. Sellius, Gaspardo: De naturæ reliquorum, quæ
colimus, omnium perpetuum comitem existit. pro-
grammate praelectionibus semestris annuali habendis
præmittit.

8. Senckenberg, Henr. Christianus: De ordine Collegio-
rum iuris theoreticorum et practicorum dignis
immetendo summorum imperii & casteriorum pro-
cessu. . . Simil. autem . . . constatum academi-
corum a se expectandorum rationem reddit.

9. Treuer, Youlib Samuel: Principes electores nulla
lege Imperioris ordiningi ad academicas condendas
tentias

9.^o Trerus, Goliath Samuel, Ius. publ. polit et moral.

p.p. o.: De canticone in tractando jure publico

Am. Germ. additenda Dipict. programmata lectionibus
semestri auctioris a schabentis praemissa. 2 Decpl. 1735

1737.

10.^o Trerus, Goliath Samuel: Principes Lectores nulla
lige Imperatoris erstringi ad academiam condendam
ostendunt.

11. Trerus, Goliath Samuel: De officiis academiarum
Germannarum in Paesem et imperium. —

1734
2
**HISTORIAM
GLADII ACADEMICI**

EXPOSIT AC SIMVL

AD

PERLVSTRANDVM VNA SECVM

CONSPECTVM SVVM REIP.

LITERARIAE

GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS ACADEMIAE
GEORGIANAE CIVES

INVITAT

PROF. HIST. LIT. ORD.

**CHRISTOPHORVS AVGVSTVS
HEVMANNVS,**

S. THEOL. D. ET PROF. EXTRAORD.

GOTTINGÆ
LITERIS HAGERIANIS.



HISTORIA
GEMINACADEMICO
EXPOSITVS
AD
CARTAS
PILGRIMORUM
CHRISTIANICAVNTZAS



D. G.



*On eadem omnibus esse honesta atque
turpia, vel, vt Graece id eloqua-
mur cum Aeschine (a) Socratico,
& καλός τι κακός αἰσχρόν πάσι τὰ τοια-
τα, ἀλλ᾽ ἔτερα ἔτεροι, exemplo et-
iam suo docet GLADIVS ACA-*

DEMICVS. In Anglia enim nemo gladio cinctus incedit Academicus: in Germaniae Academiis nemo sine gladio. Diuersitatis hujus quae causa fit, inquirere libet hoc tempore, quo Rex Anglorum in eo est, vt nouam det Germanis Academiam. Ne vero cuiquam sit dubium de isto Angliae Academiarum more, certum produco eius rei testem, Benthemium, Theologum nostratem Anglicum suo pariter ac Batauico itinere clarissimum. Re-

A 2 latum

(a) *Dial. II. p. 56. edit. Clerici.*

latum videlicet is reliquit in suo (b) *Angliae Ecclesiastico Academicoque*, quem vocat, *Statu*, certo vestis genere vti Studiosos Academiarum, nec eorum cuiquam, licet fortunatissimo, licere gestare gladium. Idem in eius libri *Praefatione* (c) narrat, accidisse aliquando, vt ipse Cudworthi mensae assidens a quodam Studio Cantabrigiensi rogaretur, quae vestitus ratio in Germaniae Academiis; cumque, gladiis cinctos ibi procedere Studiosos, docuisset, eum summa admiratione id narrationis excepisse, istumque morem vehementer iudicasse incongruentem atque a persona huius generis alienum. Imitantur hic Anglorum Studiosi Studiosos antiquae Graeciae. Namque et his fuisse vestes proprias, e Diogene Laërtio disco, qui (d) eas vocat ἑρθῆτας σχολασμάς. Quorum morem secutos fuisse Alexandriae Studiosos, quis dubitet? Certe vel illud Isidori Pelusiota sufficit ad cognoscendum, eos non incessisse (f) gladiatos: *Gladium in urbe pacis tempore gestare non decet.* Ex quibus verbis simul cognoscimus, neminem vnum Graecorum praeter milites haerentem lateri habuisse gladium.

De

(b) *Cap. XXIV. §. 102. p. 480.* editionis nouissimae.(c) *§. X.*(d) *Lib. IV. §. 53.*(e) *Lib. I. epist. 40.*(f) Miror, veteres Latinos non usurpasse hoc vocabulum, cum tamen eodem iure dicere possent *gladiatus*, quo dixerunt *galeatus*, *togatus*, *palliatus*, *braccatus*, *sagatus*.

De Massiliensibus, Graecorum colonia, liquido te-
statur Valerius (g) Maximus, eorum in vrbe ne-
minem ciuem gestasse gladium, imo nec aduenis
licuisse secum deferre in vrbe gladiu. Ac Ari-
stoteles in politico suo (h) opere commeniorans,
antiquissimos Graecos gestare solitos esse gladium,
barbarorum id ritu factum esse, pronuntiat, atque
intet *instituta absurdâ referre* haud veretur. Bar-
baros dicens Germanos significat, Gallos, Persas,
Parthos. Ac de maioribus quidem nostris ita (i)
Tacitus: *Nihil neque publicae neque priuatae rei
nisi armati agunt.* Ac (k) rursus: *Ad negotia nec
minus saepe ad coniuia, procedunt armati.* De
priscis Gallis Liuius (l) testis est, *armatos eos in
concilium venire consuevisse.* Persis Parthisque
idem fuisse moris, testimonio Ammiani ac Iosephi
confirmat (m) Brissonius. Graecos contra imita-
bantur, qui mitiores ab iis mores acceperant, Ro-
mani, apud quos ne senatores quidem cum telo

A 3 fuisse

(g) *Lib. II. cap. 6. §. 9.*

(h) *Lib. II. cap. 6. p. 100.* editionis Conringianaæ. Idem
memoriae prodidit Thucydides *lib. I. cap. 6.* qui ad-
dit, primos gladium deposuisse Athenienses, Acarnanes
vero et paucas alias Graeciae gentes perrexisse σιδηρο-
φέονται.

(i) *Cap. 13.*

(k) *Cap. XXII.*

(l) *Lib. XXI. cap. 20.*

(m) *Lib. III. de regio Persarum principatu* §. 2.

fuisse in curia, a Cicerone (n) discimus. Imo Iulium Caesarem, consulem populi Romani vel potius regem, caruisse in senatu gladio, funestus eius exitus docet apud (o) Suetonium. Tantummodo in itinere assolebant Romani habere secum gladios: id quod idem nos docet Romanus (p) orator.

Hinc cum satis appareat, nec Graecos nec Romanos literarum cultores iuvenes gladio cinctos fuisse, qui factum sit, ut Academicici nostri Studioſi insigne suum facerent gladium, haud immerito quaeritur. Exstat pereruditus et elegans Conringii liber de *Antiquitatibus Academicis*. At nulla ibi gladii Academicici mentio. Id quod sufficere potest ad docendum, morem hunc nostri aevi non esse inter antiquitates, sed inter nouitates referendum Academicas. Ac in Erfurtenſi Academia Studioſos saeculi decimi quarti gladium non gestasse, ex eius Academiae *Statutis* cognoscimus, in quibus haec lex (q) occurrit: *Nullus cum armis offensuſis in plateis incedat, ſub poena amissionis armorum.* In eadem Academia qui Professor fuit ante hos centum annos, Meyfartus, quem sua erga errantes lenitas, suus erga peccantes feruor, valde conspicuum reddidit theologum, singularem patrio sermone *de disciplina Academicā*

(n) *Orat. pro Milone cap. XXIV. 12.*

(o) *In Vita eius cap. 82.*

(p) *Orat. eiusdem cap. 4. et 10.*

(q) *Vid. Motschmanni Erfordia literata T. I. p. 654.*

demica librum (r) edidit: cuius vel testimonium vel silentium esse nobis debet in hac disputatione gravissimum. Hic dum non meminit abiectionis Studiofisi pallii, (cuius rei mentionem non credo eum sine disertissima indignatione facere potuisse,) imo in pictura libro prefixa Studiosos exhibit omnes palliatos gladioque carentes, iure hinc colligimus, nondum illo tempore Studiosorum insigne fuisse gladium. Ex eo vero, quod p. 145. scribit: Sie gehen daher in Federn und Degen, et p. 163. nominat die Federn-Junker und Degen-Stutzer, et p. 220. diuites et famulum (s) habentes Studiosos mutuo se provocare refert ad certamen singulare gladiatorium, concludo, initio nobili genere ortos Studiosos, qui palaestricam artem addiscebant, (nam et palaestrarum non semel meminit Meyfartus,) subinde accinxisse sibi gladium, ab hisque tandem hunc morem pervenisse ad vniuersos. Reperio quidem, iamdudum Studiosos nonnullos hoc nobilitatis insigne usurpare aggressos esse. Nam Caluinus in Epistola quadam in Argentoratenfi Academia a. 1540. scripta valde im-

pro-

(r) A. 1636. in 4. Boeclerus *Bibliograph. crit.* p. 818. scribit, scripsisse Meyfartum multa libertate, eaque sibi odium conciliasse apud multos. Sed fatendum est, (hoc adiicit,) vera dici. Quam exosus ipsi Gerhardo fuerit hic liber, discessis ex Fischeri *Vita eius* p. 545. Alter vero iudicauit Io. Fabricius *Hist. bibliothecae suae T. IV.*

p. 470. sq.

(s) Vid. p. 219.

probat audaciam quorundam Studiosorum cum al-
ligato gladio incendentium. En eius (t) verba :
*Praecipua difficultas erit in corrigenda stolida cupi-
ditate, quae Gallos quosdam sic occupauit, ut vix
reuelli ex eorum animis queat. Scis, leges illas esse
latas, ut scholastico habitu contenti gladios deponant,
ut nomina edant apud Rectorem, et similes. Eas ut
eludant, eiurant professionem literarum. Sed quia
apparet manifesta contumacia, eam statui nullo mo-
do ferre. Malo enim abeant omnes, quam ut hic ma-
neant cum disciplinae iactura.* Ac tum sane repre-
sum quodammodo fuit hoc studium. Ienae etiam
anno 1625. Argentorati 1629. interdictam esse Studio-
sis gestationem gladii, Rabenerus (u) docet. Imo
iam a. 1605. hanc legem Gymnasi Academici Co-
burgensis Studiosis (x) praescribi necesse fuit: *Gla-
diis non accingantur. Studiosorum arma sunt non
pugiones, sicae, gladii, sed charta, stylus, libri.* Ac
a. 1639. ademtum fuisse Salzburgensis Academiae
Studiosis gladium edicto publico, ex illius *Academiae
Historia* a. 1728. edita (y) cognoui. Verum vicit
tandem gladius ac superior discessit ex acri cum pal-
lio certamine. Idque tunc demum factum perse-
quumque esse, cum Germania arderet bello tricen-
nali

(t) p. 414. edit. 1576.

(u) Amoenit. hist. philol. p. 393.

(x) D. Ludouici Hist. Gymn. Coburg. P. II. p. 44.

(y) Cap. V. p. 79. Recensitus a me hic liber est in *Actis erud.*
1730. p. 94. sqq.

nali, testis est, quam modo laudaui, *Historia Academiae Salzburgitae*. Ibi enim in quinto Capite refertur, Studiofis, quibus antea gladium gestare non (z) licuerit, cum a. 1634. hostis Suecus saepe appropinquaret huic vrbi, data fuisse arma, imbutosque eos fuisse militaribus exercitiis. In armis itaque, sic (a) pergit istius auctor Historiae, Studiofis lectionibus interessè compellebantur. Idem docet Oratio quaedam Rectoralis magni theologi, Ioannis Gerhardi, quae tota exhibetur in *Diario theologico* (b) Loescheriano. En repetita inde haec (c) verba: *Belli buius intestini tricennale vulgo vocatur,) incendio deberi existimo, quod militare hoc saeculum militarem etiam habitum velut quodam contagio Studiosae iuuentuti affricuerit, vt gladiis accincti, palliis exuti, passim obambulare gestiant, ac auditoria, templum ipsum hoc habitu ingredi non reformident, adeoque sese Martis potius, quam Musarum, alumnos exhibeant. Futurum spero, ita paucis interieclis (d) pergit,) vt Academica disciplina hactenus depresso caput iterum exerat, ac habitus Martialis deponatur.* Ac in exitu huius Orationis (e) ita Studiosos alloquitur: *Martios*

B spiri-

(z) Vid. p. 76.

(a) p. 78.

(b) Fortgesetzte Sammlung der Unschuldigen Nachrichten a. 1728. p. 1030. sqq.

(c) p. 1032.

(d) p. 1033. sqq.

(e) p. 1047.

spiritus extinguite, gladios deponite, pallia resumite.
 Eadem est querela paeclari theologi, Dorschei, cui
 satyram singularem expressit gladius Academicus,
~~et~~ a. 1629. emissam sub titulo (f) *Pallii ex-
 lantis.* Nam et hic Studiosorum gladius tanquam
 noui moris insigne reicitur et exhibilatur. Quanto
 studio etiam Wittebergenensis Academia incubuerit,
 vt Studiosis extorqueret gladios suis, e multis locis
Dissertationum Academicarum Buchneri manifestum
 est. Sed ex vero Rabenerus (g) iudicat, nequic-
 quam tumultuatam esse eloquentiam (Buchneri) in-
 ermem, quamvis publica auctoritate munitam.

Ex his, quae dixi, lucide cognoscimus, Stu-
 dios olim pallio fuisse ornatos, non gladio. Cuius
 moris praeter inueteratam consuetudinem haec ad-
 iungenda mihi videtur causa, quod olim Studiosi
 minus honorifice tractabantur, quam nunc fit, in
 Academiis. Ob oculos mihi nunc versatur *Narra-
 tio de morte Melanchthonis* a. 1560. edita, e qua di-
 scere licet, in Programmatibus Academicis appelle-
 litatos fuisse Studiosos non, vt hodie, *Nobilissimos*,
 sed *Carissimos* (h) *audatores.* Imo ibidem (i) Me-
 lanchthon breui ante mortem dicit, iturum se in
 auditorium, et ob valetudinis infirmitatem *unicam*
 senten-

(f) Vid. Placcii *Theatrum anonymorum* num. 1545.

(g) Libri landati p. 394.

(h) Vid. ibi lit. G. 3.

(i) Lit. D. 1.

seuentriam pueris explicaturum esse. Quae res inci-
tamento mihi fuit, vt Melanchthonis Tomos quin-
que Declamationum Wittenbergenium, alio tempore,
sed alio quoque consilio, mihi perfectos, denuo per-
lustrare statuerem, inde cognitus, quo usque id
aetatis progressa fuerit Professorum erga Studiosos
comitas. Sed sufficere mihi visa est inspectio priorum (k) duorum: ex quibus didici, saepius Pro-
fessores in allocutionibus suis ad Studiosos non nisi
Vos dixisse, (T. I. p. 8. 22. 256. 386. 387. 438; T. II.
p. 9. et 67.) interdum eos appellasse simpliciter Ado-
lescentes, (T. I. p. 38. 204. 260. 406. 486. 541. 547.
551. 665; T. II. p. 31. 35. 214. 457.) alias Scholasti-
cos, (T. I. p. 70. 678; T. II. p. 276.) vel Studiosos,
(T. I. p. 685; T. II. p. 347.) nonnunquam Iuuenes
(T. I. p. 480.) vel (T. I. p. 443.) tirones. Aliquando
ita eos affatus est optimus Philippus: Optimi (l)
Commilitones. Candidatos vero Magisterii nominat
modo Candidatos (T. I. p. 385.) appellatione sim-
plicissima, modo (T. II. p. 475.) honestos et erudi-
tos Studiosos. Nunquam autem Studiosos vocatos
tum temporis suisse Nobilissimos, vel hinc liquet,
quod ibidem (T. I. p. 3.) quidam Medicinae Doctor
salutatur Nobilis, et Comes quidam (T. II. p. 617.)
Nobilis et Generosus. Forte incidebam hac occa-
sione in Melanchthonis (m) Orationem contra affe-

B2

ctatio-

(k) Edit. Argentor. 1558.

(l) T. I. p. 683.

(m) T. I. p. 665. sqq.

stationem nouitatis in vestitu, facileque colligebam,
hinc appariturum, pallium an gladius insigne Studio-
sorum tum fuerit. Ac sane apparuit. Nulla
enim ibi gladii mentio, acerba vero commemora-
tio palliorum a Studiosis usurpari tum solitorum.
*Palliorum, (n) inquit, ac tunicarum tam multae
tamque variae formae sunt, ut totus hic dies ad re-
censendum non sit satis futurus, si singulas enumera-
re velim.*

Iam cum in memoriam reuocamus, quae su-
pra ex Meyfarto et Gerhardo attuli, manifestum
est, primam nouo mori occasionem praebuisse no-
biles genere Studiosos ac caeteres diuites, qui ar-
tem addiscebant gladiatoriam; ultimam vero, vt
ita dixerim, manum imposuisse bellum tricennale:
ex eoque tempore sine gladio Studiosum incessuisse
neminem. Accedebat, quod illo temporis tractu
gladius cooperat esse honestioris viri insigne. Cuius
rei testem cito Piccartum, qui in suo a. 1615. edito
in Aristotelis libros politicos Commentario hoc per-
scriptum (o) reliquit: *Hodie paene gentes pleraque
sacra, forum, consilia, rus et agros sine armis (hoc
est, sine gladio) adire verecundantur.* Habent
igitur nunc Studiosi Academiarum tanquam nobili-
tatis literatae (p) insigne gladium, vereque dici
potest,

(n) p. 670.

(o) p. 253.

(p) Memoratu hic dignum est, quod Honoratus de S. Ma-
ria

poteſt, ex eo more manaffe, vt caeterorum quoque ordinum homines pallium abiicerent, gladium accingerent. Scilicet qui in Academiis gladio adſueuerant, poſtquam publicis admoti erant munerebus, non ſine taedio deinceps reſumferunt pallium, factumque tandem eſt, vt omnes ciuili fungentes munere noſtro tempore pro pallio gladium (q) gerant, iþi etiam Academiarum Professores. Longe aliter, inquit (r) Rabenerus, compararum erat (in Germania) ante quadraginta (s) plus minus annos, cum pallio honestissimi quique vterentur, et ſine hoc quaſi in flagitio deprebenſi erubefcerent. Testes fūnt, (ita pergit,) quotquot in iſlud intervallum memoriam retromittere poſſunt aut volunt. Cum igitur etiam Professores ſuum gladium Studioſis debeant, palliati antea vniuerſi, non eſt verendum, ne hi id poſthac acturi fint, vt Nobilissimis ſuis auditoribus rursus adimatur gladius. Nec

B3

Princi-

ria in Gallico ſuo *de dignitate equeſtri* libro, a 1718. Lu-
tetiae edito, p. 165. ſqq. refert, medio aevo etiam literatos
eminentis eruditioñis cauſa creatos fuifſe Equites, dictos-
que *Equites literatos*.

(q) Imo fuerunt, qui et baptismo, itemque S. Coenae, inter-
effe ſuſtinerent gladiati. Quid Quedlinburgi a. 1709.
ea de re diſputatum ſit, docet Christiani Doebleri libel-
lus a 1710. Ienae editus, atque ita inſcriptus: *Der übel ver-
ſchöntene Degen bey denen H. Sacramenten.*

(r) p. 390.

(s) Scriptis is hoc ante quadraginta circiter annos.

Principes, quamdiu aliis honestiorum ordinum hominibus permittunt gladio vti pro insigni suaे honestatis nobilitatisque, diuersam videntur legem prae scripturi Studiosis. Cogitate vero, Nobilissimi Studiosi, gladium vobis vestrum esse nobilitatis insigne, non militiae. Nolite proinde stringere eum vlo nomine in quenquam vel commilitonem vel alium, nec patimini, vestros gladios ita se noctu gerere, vt loqui cogantur lapides. Denique cauebis, quisquis es Studiosus noster, ne honesto cinctum gladio quisquam tuo te merito possit afficere Horatiano titulo *discincti nepotis*.

Satis (t) dixi de gladio Academicō, producendum nunc ratus hocce historiae litterariae fragmentum, cum alloquendi Vos mihi est, Generissimi Nobilissimique Commilitones, creato nuper a SERENISSIMO POTENTISSIMO QVE BRITANNIAE, FRANCIAE, ET HIBERNIAE REGE, DEFENSORE FIDEI, EODEM QVE DVCE BRVNSVICENSI AC LVNEBVRGENSI, S. R. I. ARCHITHESAVRIO ATQVE ELE

CTORE,

GEOR-

(t) Plures, de Academicō gladio qui non nihil scripsere, nominat Rabenerus p. 393. Relinquo vero id spicilegii alius.

GEORGIO II.

Conditore huius Academiae augustinissimo, Domino nostro longe clementissimo, Professori historiae literariae ordinario. Persecuturus scilicet vobiscum studiosissime sum *Conspicuum* meum *Reip. literariae*, in quo cum inde a festo Archangeli iam peruererim ad initia Christianae religionis, posthac amoenissimam obiturus partem campi huius historici rogo eos, qui, quid in orbe literato gestum sit inde a primordiis nostrae religionis vsque ad nostram hanc aetatem, cognoscere magnasque inde capere utilitates gestiunt, adiungant fese auditoribus meis, meumque studium φιλομαθείας sua inflammet. Nec vero hanc solam nauare Vobis paratus sum operam, sed praeter institutiones theologicas, quarum et ipsarum indicium faciam singulari programmate, proximo anno nec iis deero, qui tres illas philosophicas disciplinas, quae Theologiae cultoribus sunt maxime necessariae, Logicam, Ethicam, et Iurisprudentiam naturalem, pertractare me duce voluerint.

P. P. Göttingae d. VII. Nouembr.
MDCCXXXIV.

5 (o)

GEORGIO II

Cosmopolis, sicut etiam antiquis annis, quod D. anno
M. C. V. et. M. C. VI. et. M. C. VII. et. M. C. VIII.
et. M. C. IX. et. M. C. X. et. M. C. XI. et. M. C. XII.
et. M. C. XIII. et. M. C. XIV. et. M. C. XV. et. M. C. XVI.
et. M. C. XVII. et. M. C. XVIII. et. M. C. XIX. et. M. C. XX.
et. M. C. XXI. et. M. C. XXII. et. M. C. XXIII. et. M. C. XXIV.
et. M. C. XXV. et. M. C. XXVI. et. M. C. XXVII. et. M. C. XXVIII.
et. M. C. XXIX. et. M. C. XXX. et. M. C. XXXI. et. M. C. XXXII.
et. M. C. XXXIII. et. M. C. XXXIV. et. M. C. XXXV. et. M. C. XXXVI.
et. M. C. XXXVII. et. M. C. XXXVIII. et. M. C. XXXIX. et. M. C. XL.
et. M. C. XLI. et. M. C. XLII. et. M. C. XLIII. et. M. C. XLIV.
et. M. C. XLV. et. M. C. XLVI. et. M. C. XLVII. et. M. C. XLVIII.
et. M. C. XLIX. et. M. C. L. et. M. C. L. et. M. C. L. et. M. C. L.

P. P. Gomarus d. VII. Monachus

MDCXXVIA

ULB Halle
006 563 244

3



VD 18

Farbkarte #13



B.I.G.

1734
213

HISTORIAM
GLADII ACADEMICI
EXPONIT AC SIMVL
AD
PERLVSTRANDVM VNA SECVM
CONSPECTVM SVVM REIP.
LITERARIAE
GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS ACADEMIAE
GEORGIANAE CIVES
INVITAT
PROF. HIST. LIT. ORD.
CHRISTOPHORVS AVGVSTVS
HEVMANNVS,
S. THEOL. D. ET PROF. EXTRAORD.

GOTTINGAE
LITERIS HAGERIANIS.

